

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum  
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. LII. Contra alios fabulatores redargutio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

tis, qui dum prædicant, multa falsa dicunt, etiam in ipsis Legendis Sanctorum: sed & populo quandoque dum in priuato narrare volunt quæ legerunt, longè aliter proferunt quam res sit, propter suam ignorantiam, sicut notum est multis qui talia experiuntur.

## CAPVT LII.

*Contra alios fabulatores redargutio.*

**E**st aliud quod fertur de Alberto, videlicet quod ipse composuerit Sequentiam, *Salve Mater Salvatoris*, quæ decantari solet in Festo Assumptionis Virginis gloriosæ: de qua dicunt, quod dum ipsam dictaret, atque ad illum versum veniret,

*Salve mater pietatis,*

& deliberaret qualiter continuaret versum ipsum, subito venit illi in mentem quid subinferendum esset, & adiecit quod sequitur, videlicet,

*Et totius Trinitatis*

*Nobile triclinium.*

quapropter obuiavit illi Virgo beata, & regratibatur ei, dicens quod num-

O 4      quam

quam sic salutata esset ab homine. Sed hæc relatio absque dubio non est vera, cùm scimus ex Libro Apum quòd hæc Sequentia sit facta à Fratre Adam de sancto Victore; de quo etiam ibidem scribitur, quòd beata Virgo ei apparuit. Quòd autem attribuitur Alberto, non nisi ex ignorantia venit hominum, & inconsideratione ipsorum, qui fabulantur inuenta omnia quæ opinantur vel cogitant. Sic quidam dicunt de Alberto, quòd totum mundum perambulauit cum Alexandro Magno: & quòd fuerit parvus in persona; & vocatus per Papam, qui ei loqui voluit, accesserit, stans ante ipsum, & adeò parvus fuerit, vt Papa ipsum putaret flectere genua: quare dum diceret ei, Surge; respondit Albertus, se stare. & quia parvus corpore fuerit, sed magnus scientia, impositum sit illi hoc nomen Magnus.

Has fabulas hîc notare volui, vt cognoscant singuli quid tenere debeant de ijs & similibus, si eas ab aliquo proferri audierint: nam huiusmodi fabulae de multis Sanctis proferuntur, de quibus hîc longum est enarrare: sicut de Carolo

Carolo Magno, de quo dicunt quod sit  
admonitus per Angelum ut iret in cam-  
pum ad quemdam a quo furari addi-  
sceret; & similia. Sic de sancto Petro  
Apostolo multa a rudibus proferuntur,  
& utinam non crederentur! Scio enim  
ciuitatem de qua fertur (si autem ve-  
rum est, ignoro) quod in tantum ibi in-  
ualuit opinio haec, quod omnes Petri  
sunt mirabiles, ut nemo ibi assumatur  
ad Consulatum vocatus hoc nomine.  
Et reuerat, si verum est quod dicitur, &  
perseuerant in sua sententia, grauiter  
essent puniendi ob huiusmodi perfidi-  
am. Fabulis igitur refutatis, & fabu-  
latoribus damnatis, veritatem Historiae  
prosequamur.

## CAPUT LIII.

*Qualiter gloriosus apparuit Albertus  
socio suo post obitum in Ecclesia.*

M VLTIS autem modis Dominus  
gratiam sancti huius viri suis fi-  
delibus reuelare dignatus est: nam Fra-  
ter Gotfridus de Duysburck Alberti  
socius & minister, post mortem vene-  
rabilis

O s

rabilis